



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Sebast. Izquierdo Alcarazensis Soc. Iesv, svpremis
Inquisitionis Senatvs Censoris, Et Olim Complvti SS.
Theologiæ Professoris. Pharvs Scientiarvm**

Izquierdo, Sebastián

Lugduni, 1659

Quæst. 1. Quid sit locus, & quotuplex.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95620)

tias compositas physice compingere consequenter docet in vnaquaque earum tanquam in suas partes physicas, vt totum physicum diuisibilis, ex quibus patet quomodo medio combinationis vsu exacte, & adaequare, quoad eius fieri possit, sit quoduis totum diuidendum.

- 15 Quoniam autem series diuisionum coalescens ex immediatis, & mediatis, varia esse potest comparatione eiusdem totius. Potest siquidem quantitas, exempli gratia, primâ diuisione diuidi, vel à latere supremo ad infimum, vel à dextro ad sinistram, vel à vno angulo ad alterum, vel ab angulo ad latus &c. idque vel in partes æquales, vel inæquales. Rursusque quæuis ex duabus partibus diuisionis primæ variè similiter in alias duas partes potest subdiuidi; & rursus qualibet ex quatuor variè pariter in duas, donecque ad eas vigesimas, vel trigesimas partes totius perueniatur per seriem diuisionum erectam, ad quas easdem æque bene per alias series, si eligerentur, posset iridem perueniri. Tantumdemque ferè in cæteris totis diuidendis, subdiuidendisque, iuxta naturam vniuscuiusque euenire potest, idcirco eiusmodi series diuisionum subdiuisionumque in scientiis sæpe sunt arbitraria, parumque aut nihil subinde interest hanc, aut illam eligere ex variis quibus totum propositum diuidi potest. Si quæ tamen aliquando commodior cæteris apparuerit, vt sæpe etiam eueniet, prudentia erit eam eligere.

- 16 Postremo noto, Resolutionem propriè loquendo idem ac diuisionem esse: quia idem est totum in suas partes resolui, atque in illas diuidi. Vnde vbiçumque Analysis, latinè resolutio à Platone, & aliis Græcis Philosophis, vt instrumentum præstantissimum sciendi commendatur, ipsa diuisio potissimum de quâ nunc agimus commendatur. Verum quia resolui seu diuidi totum in suas partes, ad illas tanquam ad quædam sui principia reduci est. Inde factum est per translationem quandam, vt dum conclusiones in scientiis ad principia vnde inferuntur, & quasi nascuntur, reuocantur in illa dicantur resolui. Quo sensu ordo procedendi intellectus à conclusionibus versus principia analyticus dicitur; sicut è contra syntheticus ordo procedendi à principiis versus conclusiones, iuxta ea quæ dicebamus supra disputatione vigesima secunda, quaestione secunda, synthetis enim græcè compositio latinè est. Itaque synthetis, & analysis siue compositio, & resolutio, seu diuisio in significatione propria hæc duo sunt instrumenta sciendi de quibus in hac, & præcedente disputatione tractatum est. In translatitia autem ad Argumentationem spectat. Quæ aliud est instrumentum sciendi de quo disputatione trigesima. Porro duo ista sciendi instrumenta synthetis, & analysis, siue compositionem, & diuisionem tanti faciebat Plato; vt in sophista, & Phædro omnem rerum cognitionem, & scientiam illis attribuit.

DISPUTATIO XXVII.

De Definitione.



VIA sæpe sæpius definitio per quandam diuisionem obiecti definitur, consentaneum est, vt postquam de diuisione in præcedente disputatione tractauimus modo in præsentia de definitione tractemus.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit definitio, & quotuplex.

Definitio secundum Arist. lib. 2. Post. cap. ro. Est oratio ipsum quod quid est significans. Id est oratio explicans naturam, essentiam, seu quidditatem rei. Definitum autem dicitur id, cuius natura, essentia, seu quidditas per definitionem explicatur. Quamquam autem per verba Aristotelis sola definitio vocalis videatur definiri. Quia tamen definitio in vniuersum alia vocalis, alia scripta, alia mentalis est: rursusque mentalis alia intentionalis (qualem ipsam cognitionem vocamus) & alia obiectiua oportet vtrique definitionem definitionis ita etiam vniuersè vsurpari, vt omnes illas comprehendat definitiones: qualiter hæc recepta communiter, in quam Aristotelica recidit. Oratio explicans naturam rei. Vsurpari potest, vt dictum in simili disputatione vigesima sexta, quaestione prima, de definitione diuisionis. Item definitiones vocalis, scripta, mentalis, intentionalis, & obiectiua eiusdem termini obiectiui inuicem sibi correspondentes explanationes quædam sunt naturæ eius, vnaquaque suo modo, vt est notum. Definitio namque obiectiua clarior semper siue potentior atque adeo notior est, quam definitio obiectiua, eoque iure per se explicatio quædam, seu declaratio obiectiua eius; eandemque rursus aut cognitam, aut significatam explicant, declarant, siue notificant definitum ipsum definitio mentalis intentionalis, aut vocalis, aut scripta: vnde definitio sumpta vniuersum aptius fortasse definitur, si dicatur esse, *Explicatio, declaratio, siue notificatio obiecti minus noti per magis notum.*

Scire tamen opus est, bifariam posse, & sole-re explicari, declarari, siue notificari obiectum minus notum per magis notum. Primo, tanquam per connotatum extrinsecum. Secundo, tanquam per partes intrinsecas distinctè conceptas. Quia bifariam potest, & solet obiectum, aut à nobis clari-ius; siue distinctius; hoc est cum maiori ab aliis discretione cognosci, aut pariter significari cæteris. Primo cognoscendo, aut significando illud respectiue, siue comparatiue ad aliud notius, ad quod aliquam habitudinem habet: secundo cognoscendo, aut significando partes eius distinctè, quæ prius cognoscebantur, aut significabantur confusè. Priori modo declaratur, notificatur, seu definitur.

finitur, rationale cum dicimus, *Rationale est potens ratiocinari*. Posteriori modo homo cum dicimus, *homo est compositum ex corpore & spiritu*. Potest autem uterque modus in eandem definitionem concurrere; ut si dicamus, *homo est potens sentire, & potens ratiocinari*. Porro partes obiecti, per quas distinctè conceptas illud est definibile, aut physica, aut metaphysica possunt esse, & utraque tales, ut una per alteram, aut sit contrahibilis non mutuo, aut sit contrahibilis mutuo, aut neutro modo sit contrahibilis iuxta divisionem earundem datam *disputatione vigesima quinta, questione 1.* (Per partes enim logicas quantumvis distinctè conceptas non est propriè definibile totum logicum, quia ea, utpote minus universales, minus quam illud notæ sunt.) Connotatum autem extrinsecum per quod obiectum est definibile, aut potest esse terminus connexionis intrinsecæ eius, quo casu erit illius passio absoluta, vel propria, vel communis: aut potest esse terminus non quidem connexionis eius intrinsecæ, sed habitudinis alterius generis: quo casu non erit illius passio absoluta propria, aut communis, sed accedens, contingens; tale tamen ut ex eius suppositione passio aliqua propria, aut communis obiecti definiti relata ad ipsum notificetur, iuxta dicenda *postmodum*.

4 Scire insuper oportet, essentiam obiecti definibilem, quæ per eius definitionem dicitur explicari, aut physicam, aut metaphysicam, aut transcendentali, aut logicam esse posse, rursusque quamlibet earum aut per se, aut per accedens, iuxta divisionem harum essentiarum factam *disp. 9. q. 2.* Vnde quid sit vnaquæque earum sumendum est, & supponendum, ne actum agamus.

5 Quæ cum ita sint, colligitur primò. Obiectum physicè indiuisibile, ut Angelus, per partes physicas definiri non posse: quia caret illis. Sicut neque per partes metaphysicas obiectum indiuisibile metaphysicè: qualia sunt essentia metaphysicæ, rerum, & alia simplices earum formalitates. Vnde rursus efficitur, essentias metaphysicas rerum physicè indiuisibilem, aliaque earum formalitates metaphysicè indiuisibiles per solum connotatum extrinsecum definibiles esse, non item per partes intrinsecas, quas nullas habent, ut ex dictis *disp. 9. quæst. 2. citata constat*.

6 Secundò colligitur. Ea solum obiecta per genus, & differentiam definibilia esse, quæ ex partibus composita sunt, quarum una per alteram est contrahibilis non mutuo. Quia huiusmodi partes dumtaxat sunt genus, & differentia, iuxta dicta *disp. 17. q. 7.* Et quoniam obiecta huiusmodi ex partibus coalescentia longè pauciora cæteris sunt, quæ vel ex partibus constant alterius rationis, vel prorsus sunt indiuisibilia; idè longè pauciora sunt obiecta, quæ per genus & differentiam definibilia sunt, quam quæ non sunt. Ut videant Logici characterem bonæ definitionis in vniuersum esse non posse ex genere, & differentia constare.

7 Tertiò colligitur. Si definitio quiditativa ea solum appellaretur, quæ datur per partes constituentes quiditatem obiecti definiti, fore utique ut essentia metaphysicæ rerum physicè indiuisibilem nullatenus possent quiditativè definiri; quia nullas habent partes, ut *nuper* dicebam; & essentia metaphysicæ rerum physicè diuisibilem, etsi possent quiditativè physicè definiri per partes physicas, quas habent; quiditativè tamen metaphysicè non possunt: quia non habent partes metaphysicas.

Pharus Scientiarum, Tom. II.

scas. Cæterum, quia essentia metaphysica vniuersalisque rei, in subiecto radicali omnium actuum eius consistens, nequit à nobis diiudicari siuè discerni, nisi per aliquem eiusmodi actum qui proprietas sit eius; ut facillè potest vnusquisque colligere ex dictis à nobis *disp. 2. q. 4. & disp. 9. q. 2.* sæpeque alias: idcirco aliqua ex primis, siue immediatis cuiusvis essentia metaphysicæ proprietatibus loco ipsius essentia nobis est in ordine ad scientiam. Vt fert vulgatum axioma Philosophorum præsertim antiquiorum. Atque ita definitio cuiusvis essentia metaphysicæ, data per aliquam ex primis eius proprietatibus, quiditativa reputatur, talisque asseritur. Qualis subinde dici etiam poterit cuiusvis alterius obiecti indiuisibilis, data per aliquam ex immediatis proprietatibus eius. Cum tamen definitio descriptiva appelleretur, quæ quiditativam, subsequitur; atque adeo, vel datur per proprietatem mediatam, quando essentia quæ definitur indiuisibilis est, vel datur per quamlibet proprietatem etiam immediatam, quando essentia quæ definitur est diuisibilis, sique per partes sibi intrinsecas quiditativè definibilis.

8 Quartò colligitur. Definitionem descriptivam non solum esse eam quæ datur per proprietatem absolutam cum quâ absolute essentia definita connectitur, sed etiam eam, quæ datur per proprietatem ex suppositione, cum quæ essentia definita non absolute, sed ex suppositione ipsi absolute contingentia connexa est. Pro exemplo prioris sint definitiones istæ: *Homo est animal risibile*, siue, *Homo est risibilis*: *Corpus est ens extensum localiter*, siue, *Corpus est extensum localiter*. Risibilitas enim proprietas est absoluta hominis (sicut extensio localis corporis, quia essentia hominis cum risibilitate est absolute connexa; sicut cum extensione locali est etiam connexa essentia corporis). Pro exemplo autem posterioris sint istæ: *Calor est qualitas frigori opposita*, siue, *Calor est oppositus frigori*: *Triangulum est figura habens tres angulos aequales duobus rectis*, siue, *Triangulum habens, &c.* Oppositio enim cum frigore proprietas caloris est ex suppositione naturæ frigoris ipsi calori contingentia. Quo etiam pacto æqualitas cum duobus rectis trium angulorum trianguli proprietas est ex suppositione. Quia calor cum naturâ frigoris non est absolute connexus, ex suppositione tamen quod frigus talem naturam habeat non potest non calor esse illi oppositus oppositione semiextrinsecâ ipsi, atque adeo inuolvente in suo conceptu reali naturam frigoris absolute accidentariam calori. Tantumdemque venit dicendum de æqualitate trium angulorum triangulicæ duobus rectis; De cæterisque huiusmodi prædicatis cuiusvis essentia semiextrinsecis, & necessariis ex suppositione alicuius extrinseci connotati, ipsi absolute contingentis, & accidentarij, atque adeo nullam ipsius intrinsecam connexionem terminantis, sed tantum relationem aliquam alterius generis semiextrinsecam: quales sunt in exemplis positis relationes formales oppositionis, & æqualitatis consentaneæ ad doctrinam vniuersalem de relationibus traditam *supra disp. 14.* Vnde etiam patet quomodo obiectum sit definibile per connotatum extrinsecum sibi accidentarium, seu contingens *propterea*, 3. ponebamus; & nihilominus definitio semper ex suppositione saltem sit necessaria definitio.

9 Quintò colligitur. Etsi definitio descriptiva per solum proprietatem essentia definitæ dari possit, ut si dicas, *Homo est risibilis*: communiter tamen

Ce 2

ela

clarius, & melius dari per proprietatem simul & aliud prædicatum commune, quod si fuerit essentia definita intrinsecum aut genus, aut prædicabile mixtum erit, si autem fuerit extrinsecum erit passio communis. Ut si dicas, *Homo est animal risibile*: sumpto homine pro composito, ex animali & rationali, animal erit prædicabile mixtum, esset autem genus si rationale esset differentia propria hominis, & non prædicatum commune Angelis: sumpto vero homine pro subiecto potente sentire & ridere, animal, quod est potens sentire erit passio communis; passio autem propria risibile, quod est potens ridere. Definitio vero quiditatiua, si sit essentia composita per partes, ex quibus componitur distincte cognita, nulla prætermittenda, dari debet: nequit enim totum explicatè innotescere, ut debet per definitionem si penitus ignoratur pars aliqua eius, non tamen opus est, ut omnes essentia definitæ partes distincte innotescant; satis erit, imo sæpe expedit, ut duæ tantum, aut tres innotescant distincte, cæteris in ipsis confusè cognitis, ne definitio sit productior, atque adeo prolixior, quam par est. Exempli gratia, partes metaphysicæ hominis sunt ens, substantiale, corporeum, viuens, sensibile, rationale, & tamen per solas has duas, animal rationale, idoneè definitur, cæteris sub animali confusè cognitis. Partes autem per quas essentia composita, communisque siue specifica quiditatiue est definibilis, siue illa physica sint, siue metaphysicæ, aut possunt esse genus, & differentia; aut prædicabilia anonyma, aut mixta, iuxta dicta de huiusmodi prædicabilibus *disputatione decima septima, questione septima*. Iam vero definitio quiditatiua essentia non composita, etsi per solam proprietatem immediatam dari possit iuxta dicta *numero septimo*, ut si dicamus, *Leo est rugibilis*: sumpto leone pro subiecto potente rugire, quod est essentia metaphysica eius. Melius tamen, & clarius datur per proprietatem immediatam simul, & passionem communem; ut si dicamus, *Leo est animal rugibile*: sumpto leone pro eodem subiecto cuius passio communis est esse animal, hoc est, esse viuens sensibile. Porro quoties definitio siue quiditatiua, siue descriptiua per prædicatum commune, & proprium essentia definitæ datur; prædicatum commune, si non est genus, dicitur gerere vicem generis: & prædicatum proprium, si non est differentia, dicitur gerere vicem differentia. Non tamen propterea est vniuersaliter verum id, quod circumfertur vulgo inter Logicos, omnem bonam definitionem dari per genus, & differentiam essentia definitæ, aut per aliquid loco generis, & aliquid loco differentia: siquidem, ut constat ex dictis, bona definitio esse potest data per solam proprietatem essentia definitæ, aut per partes essentia definitæ, quarum neutra sit aliis communis; quibus in casibus nihil erit in tali definitione quod gerat vicem generis; aut data per partes quarum neutra seorsum sit propria essentia definitæ, coniunctum tamen earum proprium sit eius. Quo casu nihil in tali definitione erit, quod gerat vicem differentia sumptum seorsum.

¹⁰ Sexto. Ex dictis facile quisque poterit colligere quot modis vnaquæque essentia sit definibilis earum quæ recensuimus *num. 4.* siue ea sit simplex, siue composita physice, aut metaphysice; tum si-

ue sit essentia per se siue essentia per accidens iuxta dicta de eiusmodi essentia loco ibi citato.

Septimo denique colligitur. Aliquos esse terminos obiectiuos, qui indefinibiles propriè sunt: quia ex vna parte cum sint simplicissimi per partes intrinsecas distinctius cognitas, quas nullas habent, definiri non possunt, ex alia vero, cum sint ex notissimis omnium, per alios terminos notiores, qui nulli dantur, tanquam per connotata extrinseca definiri nequeunt. Aliud autem genus propriè definiendi quidpiam non est, præterquam per partes intrinsecas distinctius cognitas, aut per extrinseca connotata notiora, ut constat ex dictis. Nihilominus eiusmodi termini obiectiuum aliquod genus explicationis, siue definitionis improprie subire solent, dum diuersimodè, aut concipiuntur interius, aut exterius significantur. Ut cum dicimus existentiam esse actum, quo vnumquodque esse, existere dicitur in rerum natura identitatem esse actum quo vnumquodque dicitur esse id quod est, aut esse idem, aut identificari cum quopiam &c.

Ex quibus omnibus ferè iam constat quod duplex definitio sit; alia enim est quiditatiua, aliadelectiua, prout explicauimus: ad descriptiuam autem spectat causalis, & omnis non quiditatiua quocumque nomine nuncupetur. Alia dici potest physica, quæ vel per partes physicas, vel per connotata extrinseca physica obiecti definiti datur, & alia metaphysica quæ datur per partes, vel connotata metaphysica. Quæ diuisiones definitioni rei vniuersè sumptæ conueniunt; de quâ duntaxat hucusque loquuti sumus. Præter eam autem assignant aliqui definitionem nominis quæ in explicatione quadam significationis; aut etymologia nominis posita est; & vel improprie est definitio vel in rei significata per nomen definitionem recidit.

Adnotare tamen oportet, etsi communiter definitio dicatur ea sola oratio, quæ conuersum prædicatur de definito, ut *animal rationale*, comparatione hominis: quo pacto sumitur definitio ab Aristot. *lib. 1. Perihermen. cap. 4. & lib. 6. Topicorum, cap. 1. sæpeque alibi*, & ab aliis Logicis communiter, a nobisque impræsentè quæst. intendi tamen sub nomen definitionis venire propositionem integram, in quâ prædicatur definitio de definito: ut hæc, *homo est animal rationale*. Quo pacto usurpauit definitionem Aristot. *lib. 1. Post. cap. 1. & lib. 2. cap. 10* cum dixit eam, aut principium demonstrationis, aut conclusionem, & Quintilianus ubi eam enunciationem dilucidam proposuit rei appellauit. Pariterque usurpant scientiam definitiones se dicunt inter principia scientiarum definitiones se dicunt ponere, ponentes propositiones integras prædicantes definitiones de definitis, vtpote quæ vera sunt scientiarum principia, non definitiones ipsæ præcisæ, quæ nihil affirmant, aut negant.

QVÆSTIO II.

Qualiter faciendæ sit definitio in ordine ad scientiam.

¹⁴ Suppono primò, leges bene definiendi traditas ab Aristot. *lib. 6. Topic.* ad hæc tria capita renouari. Primum quod definitio clarior sit definito. Secundum, quod definitio conuectetur cum definito, id est quod definitio, & definitum tum inter se, tum respectu ad aliud tertium motu vertantur,